

BULLARIUM.

19

A N N O
1740.

Comitatus, ac Castrorum, Terrarum, et Locorum ejusdem, gubernio, tenore præsentium, ad Nos-trum, et Sedis Apostolicæ beneplacitum, erigimus, et instituimus. Ac ipsi Congregationi sic erectæ, et institutæ, ut quoad gubernium hujusmodi, omnibus, et singulis, facultatibus, jurisdictionibus, et indultis, quæ quoad universum Statum nostrum Ecclesiasticum tam per fel. record. Sextum PP. V., quam alios quoscumque Romanos Pon-tifices Prædecessores nostros, Congregationi Ve-nerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatæ quomo-dolibet, et qualitercumque concessa, et attributa fuerunt, pari modo, et absque ulla prorsus dif-ferentia uti, frui et gaudere libere, et licite possit, et valeat, harum serie concedimus, et indulgemus.

§. 2. Quoniam autem, præinserta sanctione, per hoc temporis spatium fere neglecta Congre-gatio Firmana hujusmodi, præter Cardinalem Secretarium Status prædicti, alias etiam Præla-tos, nempe Auditorem Romani Pontificis pro tempore existentem, Secretarium cum duobus Ponentibus secundodictæ Congregationis, et Secretarium Congregationis Venerabilium Fra-trum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Bono Regimini Communitatum, et Universitatum ejusdem Status nostri Ecclesiastici deputatæ, atque etiam Procuratorem Fiscalem hujus Almæ Urbis nostræ, cum Voto, ac suffragio habere coepit, factum est, ut, veluti experientia patuit, in Causis contentiosis, et articulos Juris con-tinentibus, non mediocris confusio inde orta sit, quod ob facilem Prælatorum Ponentium secundodictæ Congregationis mutationem, eæ-dem Causæ jam decisæ, ac terminatae, iterum atque iterum, non sine gravi Civitatis prædictæ dispendio, in Judicium adductæ fuerint. Hoe autem non aliam ob causam fieri compertum est, quam quod Prælati secundodictæ Congre-gationis Consultationibus præpositæ, propter plurima negotia totius Status prædicti bis in

Causæ
præsentis
innova-
tionis.